

*MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81277-15*

MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States - Title 17, United States Code - concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material.

Under certain conditions specified in the law, libraries and archives are authorized to furnish a photocopy or other reproduction. One of these specified conditions is that the photocopy or other reproduction is not to be "used for any purpose other than private study, scholarship, or research." If a user makes a request for, or later uses, a photocopy or reproduction for purposes in excess of "fair use," that user may be liable for copyright infringement.

This institution reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

TITLE:

**PRAEMISSAE SUNT
VINDICIAE LECTIONUM...**

PLACE:

GOTTINGAE

DATE:

1852

Master Negative #

93-81277-15

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

BKS/SAVE Books FUL/BIB NYCG93-B2010 Acquisitions NYCG-TLK
Record 1 of 0 - SAVE record
UNI
ID:NYCG93-B2010 RTYP:a ST:s FRN: MS: EL: AD:03-04-93
CC:9668 BLT:am DCF:? CSC:? MOD: SNR: ATC: UD:03-04-93
CP:gw L:lat INT:? GPC:? BIO:? FIC:? CON:???
PC:s PD:1852/ REP:? CPI:? FSI:? ILC:???? 11:?
MMD: OR: POL: DM: RR: COL: EML: GEN: BSE:
040 NNC†cNNC
245 10 Praemissae sunt vindiciae lectionum Bernensium in Ciceronis oratione p
ro P. Sestio†h[microform].
260 Gottingae,†bTypis expressit officina Academica Dieterichiana,†c1852.
300 12 p.
LDG ORIG
QD 03-04-93

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB HB
DATE FILMED: 4-13-93 INITIALS JAMES
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910




301/587-8202



Centimeter



Inches



MANUFACTURED TO AIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

87C12 No.6

Milgale

**I N D E X
S C H O L A R U M**

PUBLICAE ET PRIVATIM

IN ACADEMIA

GEORGIA AUGUSTA

PER SEMESTRE AESTIVUM

ANNI MDCCCLII.

A DIE XV. APRILIS USQUE AD XIV. AUGUSTI

HABENDARUM.



*Praemissae sunt vindiciae lectionum Bernensium in Ciceronis oratione
pro P. Sestio.*

GOTTINGAE

**TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.
(GUIL. FR. KAESTNER.)**

I N D E X
S C H O L A R U M

P R O F E S S O R U M
A C A D E M I A E
G E O R G I A E
A U G U S T A E
P R O R E C T O R I S
H. CAROL. BRIGLIEB D.
C U M S E N A T U.

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

PRORECTOR

H. CAROL. BRIGLIEB D.

CUM SENATU.

In ea disputatione, quam ante hoc quadriennium de Ciceronis oratione pro P. Sestio scripta instituimus, quamvis dignis laudibus Madvigii meritum prosecuti, quo is primus descriptis codicum familiis vera illius emendandae fundamenta aperuit, illud tamen reticere non potuimus, inter ipsos optima notae libros Parisiensem, quem ille prae ceteris sequendum proposuit, Bernensi cedere, cujus lectiones ab Orellio publicatae etiam meliore integritatis et antiquitatis indole commendari videntur. Quod tamen iudicium quoniam tum paucis tantum exemplis firmare licuit, nunc ad ejusdem orationis explicationem relati redeunte praefandi opportunitate ita uti constituimus; ut singulis locis, ubi Bernensis a Parisiensi discrepat, examinis utriusque virtutes justo pondere existimare conemur. Aliquid utique hujus operae compendium nobis Halmii, viri diligentissimi, editio fecit, quem ipsum jam exactissimi iudicii sanitas identidem eo impulit, ut vel invito Madvigio Bernensis auctoritatem prae Parisiensi amplecteretur; constantiam tamen ejus rationis ne hic quidem tantam praestitit, quantam et universa libri praestantia et plerorumque locorum condicio et natura postularet; brevi igitur eorum enumeratione praemissa, ubi Halmius quoque recte Bernensem potius habuit, ceteros, quorum idem jus esse videtur, quanta per harum pagellarum angustias poterit cura pertractabimus.

C. I §. 2 Par. *ego autem, iudices, qua voce, Bern. quia qua voce, quem recte Halmius ea certe tenus secutus est, ut nisi adjecta particula orationem hiare intelligeret; quam etsi quoniam potius flagitare jam Madvigius monuit, vestigia tamen veri expressiora Bernensis servavit.* — C. III §. 6 Par. *utriusque eorum et, Halm. c. Bern. ut et, quod etiam vulgato ut utriusque elegantius est.* Ibid. §. 7 Par. *clara in hoc . . . existit omnibus grata, rectius illi et omnibus, quia utrumque adjectivum de pietate praedicatur neque alterum alteri subjici par est.* — C. V §. 12 Par. *quot stimulos, illi quos, adstipulante Scholiasta neque ulla numerandi necessitate apparente.* — C. VI §. 14 Par. *poterit, illi cum reliquis poterunt.* — C. VII §. 15 Par. *re quidem, illi re quidem vera, utique melius, quia non solum ut v. c. Fin. II. 7 verba rei, sed etiam praetextum veritati opponitur.* Ibid. §. 17 Par. *eorum facta, illi facta eorum, fortius propter oppositam vocem ora; nec minus recte mox oculis sine additamento vestris, quod Par. ex antecedentibus male repetit.* — C. VIII §. 19 extr. Bernensem certe non ea qua Parisiensem interpolatione laborare in superiore disputatione monuimus; eundem vero etiam mox §. 20 lectione *labi pro labe*, tum C. X §. 23 *asyndeto post vita praestare probe Halmius perspexit, nec C. XIII §. 30 edicto pro dicto aut C. XV §. 33 qui non pro quin ex illo praeferre dubitavit.* — C. XIX §. 44 Par. *plaga mihi*

ACADEMIAE GEORGICAE AGRICOLAE
— 5 —

insanabilis illi mortifera quam imposuissent, Bern. mihi sanabilis illi mortifera que imposuisset, unde Halmius cum Lambino que in qui eam mutato verum restituit. — C. XXV §. 55 post promulgatae fuerunt Par. alieno loco intrudit dicam, quo illi recte abstinere; eademque causa est C. XXVI §. 56, ubi male Par. *auspiciorum potestatem* pro duobus genitivis exhibet. — C. XXX §. 64 Par. *ejus magistratus tutelae*, solus, ut Halmio videtur; ipse cum Bern. in . . . *tutela*, moxque §. 66 *orbis et reperiebatur*, ubi Par. corrupte *orbi et reperiebantur*. — C. XXXV §. 76 Par. *ad fratris salutem . . . deprecandum*, illi *deprecandam*, quod utique post praepositionem gerundio cedere vix potest; cf. Alschevski in N. Jahrb. T. XL, p. 317. — C. XXXVII §. 79 verba *ut a suis munitus* Par. male iterat, illi recte omiserunt. — C. XLV §. 97 Par. *clarissimi cives nominantur*, illi *numerantur*, oppido verius, quia non nomine tantum sed etiam numero optimates valere orator innuit. — C. XLVII §. 101 Par. *C. Marium*, illi *Q. Varium*, quia M. Scaurus Mariani belli tempora non attingit, cf. Drumann Gesch. Roms. T. I, p. 28; nec minus recte mox *de-moveri* pro *dimoveri*, quia non de abjicienda tantum sententia, sed etiam de amplectenda alia agitur; cf. Jahn. in N. Jahrb. T. XXIV, p. 434. — C. XLVIII §. 103 Par. *haec via ratio*, illi *haec via, haec ratio*, unde si maxime cum Orellio et Wesenbergio suetam Ciceroni structuram *via ac ratio* elici malis, Bernensis certe hic quoque vestigia antiquae lectionis fidelius servavit; eademque praestantia est C. LI §. 110, ubi quod etiam nunc unice verum censemus *nihil sanctitatem juvabant anagnostae*, multo propius ad Bernensis quam ad Parisiensis lectionem accedit, qui duo extrema vocabula prorsus omisit. — C. LIV §. 116 Par. *ludos apparatusque*, Halm. c. Bern. *apparatusque magnificentissimosque*. — C. LV §. 118 Par. *tite tua te*, plane corrupte; Bern. *vitae tua*, proxime a vero *vitae suae et*, quod Halmius cum antecessoribus recte retinuit. — C. LVI §. 120 Par. *quam enim*, illi *qua enim* scilicet *dixit*, quod ipsum etsi Halmius obelo notavit, nobis tamen vix quicquam amplius ad integritatem loci requiri videtur; Seyfferti suspicionem non sine fastu pronunciatam, qua *quaerimus* legi iussit, vix poetae, nedum Ciceroni medelam afferre certum est. Ibid. §. 121 Par. *et quod fortasse*, illi cum ceteris omnibus *et fortasse*. — C. LXV §. 137 Par. *regum potestatem*, illi *regiam aptius*, quum non magistratus tantum annui regibus, sed etiam regiae potestatis limites illis opponantur, quibus magistratus per praepositum senatus concilium coercerentur. — C. LXVI §. 138 Par. *nec attingant*, illi *ne attingant*, majore vi, praesertim sequente tertio membro, quod nimis hiulce accederet, si duo priora arctiore copula continerentur.

Ipsa igitur Halmio teste non paucis locis Bernensis codicis lectionem aut ceterorum omnium suffragiis contra Parisiensem defendi aut quamvis solitariam sensus et sermonis fide eundem superare videmus; quod si hoc maxime criticum expetere decet, ut certum ducem inveniat, quem experimentis spectatum et probatum ibi quoque sequatur, ubi ceteroquin ambigua optio videri possit, nec nisi summa necessitate urgente vagae se inter diversas auctoritates oberrationi committat, illud certe videndum erit, ne aliis quoque in locis, ubi Halmio Parisiensis aliusve codex potior visus est, Bernensis lectio aut commendari aut adeo vindicari possit. Non equidem, ne quis erret, hoc dicimus, quovis pacto huic patrocinandum esse; id quod nec librariorum

menda, quibus sat multis scetet, nec manifestae corruptelae, quas cum aliis communes habet, patiuntur; estque adeo ubi Parisiensis eidem corrigendo egregie inserviat; attamen longe majorem eorum exemplorum numerum esse arbitramur, quae vel post Halmium aut sola aut praecipua Bernensis opera ad meliorem frugem revocare liceat; idque jam ut singulatim probemus, de- duo vos, Commilitones, ad perlustranda oratoris verba invitamus. Mittimus C. II §. 4, ubi non melius in Bernensi legi *nam qui* quam in Parisiensi *nam-que*, unice verum esse Madvigii *nam neque* facile patimur; nec si maxime *ullius* quam *ullus dolor* legi malimus, in hac lectione Bernensis major quam ipsius Par. auctoritas est; at C. III §. 6 soli ut videtur Bernenses omittant inositium *his* ante *gravissimae antiquitatis viris*, quod Parisiensem vel ad majorem corruptelam *gravissimis* abripuit; neque alia causa est C. IV §. 9, ubi vel tribuni nomen ex Bernensis corruptela *C. Meculcanum* non majore negotio ad *Medullinum* vel *Meculonium* (pro Flacco c. 20) revocari potest, quam Bergkii in Zeitschr. f. d. Alterth. 1847, p. 172 ex Parisiensi *Avianium* finxit; praemissum autem in hoc *et inde* non Bernensis magis fide quam ipsa structura damnatur, neque ulla necessitas apparet, cur aut cum Halmio *idem* aut cum Seyfferto *deinde* intrudendo celeritatem orationis retardemus. Ibidem quin dici possit, quod Halmius cum plerisque edidit: *non solum Capuam venisset*, nemo dubitabit; Bern. tamen habent *non Capuam solum*, quod ut in secundam editionem Orellii receperat, ita vellemus etiam in tertia tenuisset, quippe quo simul gradationi cum antecedentibus consulatur tribunoque illi militum, qui Capuam solum venerat, Marcellus, qui se in familiam quoque conjecerat, opponatur. Mox quod Bern. offert *eidem pro idem*, Osannus de pronom. tert. pers. formis (Gott. 1845. 4) p. 53 ubique reponendum censet; *periculum* autem sine copula jam pristinis Lambini et Garatonii suffragiis commendatur, neque Halmium *periculumque* restitutum fuisse arbitramur, nisi prava Parisiensis verecundia seductus esset. At interpolatum hunc etiam §. 10 deprehendimus, ubi quod post *inimicis pro nostris*, ut Halmius cum vulgatis legit, *vestris* praebet, non melior lectio sed alius pronominis supplendi conatus est, quod recte a Bern. abesse ipsa illa codd. discrepantia testatur. — C. V §. 12 probabilem Madvigii conjecturam *cum majestate sua dignitatem* Bern. certe propius tangit quam Par., qui *quam majestatem suam* scriptum invenisset, inserta copula ipsam corruptelam latius propagavit; nec major hujus auctoritas est in pron. suo post *exercitu* inserto, quod quum alii codd. aliter ponant, Bernenses autem prorsus omittant, ipse Madvigius in suspicionem vocavit. Ibid. §. 13 quod Halmius cum Par. uno tantum praeterea libro adstipulante *attulit ad tribunatum* quem cum reliquis et Bern. *ad tribunatum attulit* scribere maluit, tribunatus certe mentionem non illustrat; nec C. VI §. 14 vel Parisiensi vel Madvigio tantum tribuimus, ut iudicium appellationem ante *dolentius* a Bern. firmatam eliminemus. Omissione enim passim codd. peccare hic quoque locus docet, ubi Madv. praeclara conjectura *juventuti* vulgo omissum restituit; interpolatione autem Parisiensem multo saepius quam Bernensem laborare vidimus; quod si quando Bern. locupletior illi deprehenditur, multo minor additamenti suspicio est, neque adeo exigua vocativi vis apparet, quo Cicero et omnino veniam dolori suo a iudicibus petit et orationem ab universa corona ad ipsas iudicum aures revocat. — C. VIII

§. 19 Bernensem lectionem *vestitus asper nostra haec purpura* etc. descriptionem multo vividiorum efficere jam Orellius intellexerat; quam quod posterius cum Par. sequenti ablativo *capillo horrido* assimilandam credidit, haud scimus an hunc potius in nominativum mutari praestet. De pron. *illo*, quod Bern. mox *supercilio* addit, quia facile ex repetitis hujus syllabis extremis oriri potuit, pugnare nolumus; nec tamen majore jure §. 20 denique ante *homines* aut §. 25 *hi* vel *ii* ante *non modo* contra Bern. servatum esse arbitramur, §. 27 autem haud scimus an etiam elegantius cum Bern. *quum* solum quam cum reliquis *quumque* legatur. Neque enim pari vi prius ac posterius *quum* cum antegressis junguntur: *quum omnes essent sordidati* temporis rationem significat, *quum hoc satis esset signi causam*, quapropter illo tempore deprecationi locus non fuerit; quod discrimen copula subjecta prorsus perit. — C. XIII §. 29 unice veram existimamus Bakii emendationem, qua ex *aut* inter *judicio* et *edicto* interposito ut eruit, cui *quum* in altera editione Orellius obtemperasset, in tertia Madvigium secutus etiam Halmium impulit, ut cum Par. particulam omnino omitteret; at hanc ipsam eleganter iterari docet Wopkensis Lect. Tull. p. 30 et 96. — C. XIV §. 32 Bern. et Vulg. *neque hunc suum dolorem veste significarent*, Halm. c. Par. *ne hunc*, quo facto significatio doloris ultra ipsum moerorem gradatione tolleretur; nobis illa consectoria potius videtur, cui rationi copula magis quam asyndeton convenit. — C. XV §. 35 Bern. *metu et periculo*, Halm. cum Par. et reliquis *ac*; at haud scimus an Hendiadys nunc et potius commendat. Neque enim periculosus est metus, sed metuitur periculum; quod igitur Handius Tursell. T. I, p. 463 particulae et praemitti docuit, vocabulum secundarium *metus* est, eodemque exemplo nunc et *tuebimur*, quo Fin. II. 30 *in laetitia et victoria*, hoc est *in victoria laeta* sive *in laetitia victoriae*, item Tuscul. III. 16 *longinquitas et dies pro longinquitate diei* vel *die longinqua*, aliaque multa apud Beier. et Klotz. ad Lael. IX. 2, Savels. ad Orat. post red. in sen. p. 159, Ellendt. ad Orat. I. 21 etc. — C. XVI §. 37 Bern. *Italia cuncta*, Halm. c. Par. reliquisque *tota*, quod vide ne ex proxime antecedentibus in librarii memoria haeserit; *cuncta* commendat idem usus §. 25 insignisque in fine enumerationis collocatio in Pison. c. 5: *senatu, equitibus Romanis, civitate tota, cuncta Italia*, vel Milon. c. 25: *totam rempublicam, omnem Italiae pubem, cuncta populi Romani arma* etc. Mox §. 38 Bern. *ad communem salutem*, illi *ad salutem communem*, fortasse ut adjectivum propius cum sequ. gen. *omnium civium* jungatur; sed major, opinamur, vis est oppositi, quo *communis salus* cum *singulari gloria* continetur, prorsus ut Fam. I. 9. 4: *quem antea tantummodo communi officio civium, non alicui erga me singulari beneficio debitum praestitisset*, vel Planc. c. 13: *communi sensu omnium et dulcissima commendatione naturae*; neu quis ad Chiasmum confugiat, huic per ipsum genitivum postpositum, quum *gloriae possessivum meam* antecedit, satis consultum est. — C. XVII §. 39 Bern. *vim vi depulsam*, Halm. *repulsam* cum Parisiensi, sed contra ipsius palimpsesti Vaticani auctoritatem; quam cum Bern. conjunctam nunc eo validiorem existimamus, quod in ambigua ceteroquin optione per Sestianam certe ubique *depellere*, non *repellere vim, mortem, caedem* Cicero dixit; cf. §. 49. 79. 92. — C. XVIII §. 40 nollem Orellius, quae in altera editione recto sensu ductus ejecerat verba *tam improba*, in tertia cum Par.

revocasset; quae quum in Bern. duobus locis legantur, haec ipsa sedis inconstantia suspicionem movet; neque in sequ. aut hic aut Halmius Madvigio affirmanti credere debebat senatum et principes in unum conjungi, scilicet ut Par. lectio *principibus* confirmaretur; nos, quibus Cicero principes, nisi seorsim a senatu intelligi voluisset, ne commemoraturus quidem fuisse videtur, Bern. lectionem *a principibus* etiam nunc retinemus. — C. XIX §. 42 *publici consilii duces* Bern. c. Vulg., *duces publ. cons.* Par. propter Chiasmum, ut videtur; at quum publicum consilium, hoc est senatus, jam antea memoratur, haud scimus an hujus genitivi respectu praemitti debeat; nec C. XXI §. 47 tanta apud nos Par. auctoritas est, ut cum hoc etiam *consul rem publicam* quam cum Bern. et plurimis *remp. etiam consul* scribere malimus. Immo sic res publica singulis civibus, ut salus sine armis conservata victoriae armis relatae apponitur; in Halmii ratione *rem publicam et conservat* in unam notitiam coalescunt. Ibidem *rem* potius quam *rem publicam ad servos venturam* dixisse Ciceronem Bernensi etiam nunc credimus, eodem exemplo quo Livius VIII. 8 *rem ad triarios rediisse* ait. — C. XXII §. 49 utrum cum Bern. *bonorum omnium* an cum Par. *omnium bonorum* rectius legatur, internis argumentis vix decernas; nec C. XXIII §. 52 omissum in Bern. *is* post *erit* desiderari potest; de loco tamen pronominis vel sic ambigas, utque hic antiquum certe mendum Vaticani consensus arguit, ita C. XXIV §. 54 Bern. veterem lacunam integram servarunt, quam Par. aperto interpolamento explet. — C. XXVII §. 58 Bern. *grave bellum diuturnumque*, Halm. c. Par. *perdiuturnumque*, quem tamen vix arbitramur alterum exemplum inventurum esse, ubi Cicero adjectivum cum *per* augmentativo compositum per *que* alteri adjunxerit; quodque Orellius saepe compositis simplices formas substitutas esse narrat, in hac certe praepositione rectius contrarium statuas, cf. Madvig. ad Fin. III. 11. 36. — In sequentibus vix distinguas utrum verius Par. *copiis suis* an Bern. *suis copiis* praebeat, aut §. 66 *erat* post *rex* ponere cum illo an cum hoc omittere praestet, neque ii sumus, qui §. 68 Bern. lectionem *conquereretur* Parisiensi *confiteretur* praeferamus; quanquam in illa quoque aliquid veri latere posse acute Orellius monuit; eodemque exemplo haud scimus an C. XXXIII §. 72 eorundem Bernensium lectio *tabula* ad *tabulam* potius quam ad *tabulas* ducat; pluralem librarii antecedenti *nominibus* adaptasse videntur. Mox autem vix dubitandum esse arbitramur, quin *quae etiam* propius ad oratoris mentem accedat, quam quod Halmius ex solo ut videtur Par. *recepit etiam quae*, quo facto etiam ad *scire* referretur, non collegam collegae adjungeret; eademque causa est C. XXXIV §. 73 lectionis Bern. *permutatione* pro Par. *perturbatione*, in qua librarii antecedentem *perturbatorum temporum* notitiam repetierunt, etsi haec ipsa repetitionem vetare magis quam commendare jam Orellius intellexit. *Perturbatis* enim jam nunc temporibus non impendere demum *perturbatio* potest; quod si Madvigius in *permutatione* quoque cadere arguit, aperte cavillatur; quod autem *mutationem* etiam in bonam partem accipi posse ait, id ipsum dicere oratorem arbitramur, se, quum res in melius mutatum iri videret, reliquae tranquillitatis spe praesentes *perturbatorum* temporum fluctus declinasse. Una difficultas restat, quod *permutatio* apud Ciceronem nusquam alibi ad rei publicae statum referri videtur; nos tamen vel sic *perturbationi* simplicem *mutationem* praeferimus, cui

facile ex antecedente versu praepositio adhaerere potuit. — C. XXXV §. 75 idem Madvigius *concilii agendi* diem, ut in Bern. est, Latine dici negavit commendavitque Par. *concilio*, quem Halmius secutus est, spreto tamen, quod prudenter Madvigius adjoecerat in, cui correctioni Bernensium auctoritatem longe praeferimus. *Agere enim concilia* claris verbis dixit Livius X. 39, item *agitare* XLIII. 17, eique ut ne Cyprianum quidem adungere dubitemus, qui Epist. LV. 13 *concilio frequenter acto* dixit, ipsa Madvigii observatio efficit, qua solemnes talium rerum formulas esse monuit, quas deteriores quoque sermonem retinere par erat. *Agere* quot modis Latini ad publicarum rerum administrationem retulerint, docent Gronovius Obs. IV. 14 et Marinus Atti dei frat. Arv. p. 623, quibus addimus *auguria agere* apud Gieseum ad Cic. Div. I. 17. 32. — C. XXXVI §. 78 Bern. *is praetor, qui servasse de caelo dixerat*, Par. *is trib. pl. qui etc.*, Halmius *is qui se servasse de caelo diceret*, quem malleus Orellii cautionem quam Madvigii confidentiam secutum esse. Praetoris certe vocabulum tantum abest ut otiosum sit, ut ei quod sequitur *collega* non minus opponi necesse sit, quam verbum *obnunciasset* sequenti *intercessisset*, neque omissem pronomen *se* quicquam offensivum habet apud Ciceronem, qui, ut Classenii verbis utamur ad Cluent. p. 192, centies sic loquitur more Graecorum; quod autem in eo Madvigius argutatur, ut, quum proximo anno Clodius sua lege prohibuisset, ne quis omnino comitiali die de caelo servaret, neminem Clodianum contemta illa lege auspiorum auctoritatem Fabricio oppositorum fuisse putet, nos nec Clodianos legi, quam sui tutandi causa scripsissent, ultra quam e re sua esset obtemperasse, nec Ciceronis amicos, qui Clodii leges nullas esse censerent, harum tutela contra Clodianos usuros fuisse credimus. Jactationi igitur vel sic locus relictus erat, qua Appius praetor adversarium, quasi de caelo servasset, certe terrere conaretur, nec probabile est Fabricium, si revera sibi Ap. Claudius obnunciasset, lege Clodia se religione liberum fore putasse; quanquam gratissimum hoc Ciceronis amicis fuisset, si quis ex adversariis ad tantam inconstantiam delapsus esset; quod quum sequentia clarissime prae se ferant, illic potius *gemere*, quod Halmius sanissimum judicat, corruptum et aut in *gaudere* aut, si hoc nimis a literarum vestigiis recedere videatur, in *regerere* mutandum esse censemus. — C. XXXVIII §. 82 Bern. *ipsi illi parricidae*, Halmius c. Par. *illi ipsi*, laudato Madvigio Opusc. I, p. 131 et ad Fin. p. 26, quorum tamen locorum altero hic ipse veretur, ne nimis haec ad certam regulam adstrinxerit, altero autem ipse ita certe praecedere patitur, ut majorem vim habeat, quod non videmus cui exemplo magis quam nostro conveniat. — C. XL §. 86 Milonem immortalis virtute *praeditum*, ut est in Par., dici potuisse nemo negabit; necessitatem autem talis participii non eam intelligimus, ut non contra Bernensium tantum, verum etiam contra tertiae classis principum auctoritatem inserendum fuerit; quod si quis ablativum in praedicatione positum fulcire arbitretur, eundem sua vi nisum inveniet Philipp. VI. 5: *quis unquam tantis opibus, tantis rebus gestis fuit* etc. Simile additamentum C. XLII §. 91 quum Bern. fide Orellius in edit. altera expulisset, in tertiam reduxit *continentes* post *ad communem utilitatem*, ipsamque praepositionem *ad*, quam vel Par. antiquae lectionis testem retinuit, sustulit immemor eorum, quae ipse Garatonium secutus ad Planc. c. 24 annotaverat; sive haec

cum Madvigio aliena censeas, ejusdem ellipsis exemplum exstat Ter. Andr. III. 2. 1: *oportet signa esse ad salutem*, ubi clare Donatus: *deest haerentia aut pertinentia*; cf. Hand. Turs. I, p. 117 sqq. Ibid. §. 92 quod *hoc vident* Par., *haec vident* Bern. exhibent, non gravius est, quam contraria discrepantia C. XXXII §. 69; pluralis tamen nunc multo potius quam illic jus esse ipsa quae sequitur disjunctio: *altero uti voluit . . . altero usus necessario est*, ostendit. — C. XLV §. 97 cum Bern. *numero*, non cum Par. aliisque plurimis *de numero* legendum esse pluribus demonstratum est in Ritschel. Mus. Rhenan. IV, p. 447; nec §. 107 aut 110 propius ad veritatem Par. accedit, quam Bernenses, qui quamvis et ipsi corrupti tamen eam lectionis formam servarunt, cui vel Halmius vel Orellius probabiles emendationes adaptare possent; §. 116 autem eidem scribendo *virtus honoris* tantum non ipsam lectionem *Virtutis Honoris* servarunt; in qua inversum vocabulorum ordinem satis, ut opinamur, Chiasmi ratio, qua cum sequentibus continentur, defendit; adde similem N. Deor. II. 23: *vides Virtutis templum, vides Honoris a M. Marcello renovatum* etc. — C. LV §. 117 Bern. *stantes ei manibus passibus gratias agentes*, Par. *stantes et*, minus commode, quia *stare* non eodem modo quo *gratias agere et lacrimare* ad benevolentiam declarandam pertinet. Immo stantes consuli gratias agebant eaque re benevolentiam erga ipsum Ciceronem declarabant; itaque *stantes* arctius cum gratiarum actione conjungendum est, ut alibi cum plausu, ut Lael. c. 7: *stantes plaudebant in re ficta*. Quod autem Wesenbergius ita Parisinum defendere conatur, ut *stantes cum manibus passibus* per et jungat, veremur ne Graeci sermonis usum perperam ad Latinum transtulerit, quem vix probes participiorum, quae quidem verbalem vim retinerent, diversis casibus particulae copulam concessisse; ipsius igitur constructio Bernensem potius lectionem requirit, prorsus ut Caes. B. Gall. I. 51: *proficiscentes milites passibus stantes implorabant, non et stantes*. Similiter incommode et §. 134 ex praecedenti syllaba natum esse sagaciter Orellius intellexit; planissime legendum est *si ob eam causam peccaret pro recenti P. R. beneficio . . . elatus*. — C. LVIII §. 123 *huc me* cum Par. an *me* huc cum Bern. legamus, haud multum interest, nec quod *totiens* recipere Halmius ex his noluit, valde urgebimus, quoniam ipse se §. 59 ex eorum numero eximit, quibus curae est antiquam scribendi rationem ubique religiose reddere; alioquin enim etiam §. 69 *deprehenso* c. Bern. pro *deprehenso* scribere debebat, cf. Niebuhr. ad Cic. pro Fontejo fragm. p. 56 et Osann. ad Appul. de Orthogr. p. 114; quod autem §. 124 vel a Parisino vel ab illius patrono Wesenbergio ita sibi imponi passus est, ut *maximum pro maxime vero* etc. scriberet, sincere dolemus. Nimirum magna, tanta, maxima judicicia dici nemo ignorat; nunc tamen pondus sententiae in *universi* inest, quod misere langueret, si *judicium* quoque insigni attributo praeditum esset; sin *maxime* legeris, suum cuique pondus constabit: maxime vero, quid populus Romanus isque universus judicaret, consensu gladiatorio declaratum est. — C. LX §. 128 Bern. cum Vulg. *hunc ego reditum*, Halm. cum Par. *hunc reditum ego*, quod ita demum ferremus, ubi sequens relativum ad Ciceronem spectaret; nunc quum reditum spectet, recte hunc Bernenses post primae personae pronomen posuerunt.

Atque haec sufficiant ad illud efficiendum, quod toti huic disputationi

principaliter proposuimus, Bernensem codicem aut utrumque aut antiquiorem certe ex duobus, quem litera B Halmius insignivit, Parisinum a Madvigio commendatum plurimis in locis vel integritate vel propiore a genuinis lectionibus distantia superare; quod si recte disputavimus, nec secunda Orellii editio, in qua primus Bernensium vestigia pressit, adeo spernenda erit, ut vel ipsi posterius vel Halmio visum est, qui tertiae potius, quam Orellius ad Madvigii auctoritatem composuerat, suam superstruxit. Est tamen etiam, ubi ne Parisini quidem cum Bernensibus consensus novissimo editori ad fidem lectioni faciendam sufficere visus est; quod etsi nequiquam improbamus, sicubi aut manci aut ita corrupti codices sunt, ut eos sequendo injuriam scriptori facturus sis, si salvo hujus honore tolerari potest, vix dubitamus quin propius examinantibus vel melior illorum lectio apparitura sit. Sic §. 10, ubi non illi tantum sed omnes libri in *vicem officii praesentis* consentiunt, nihil causae erat, cur cum Madvigio conjectura a Lambino commendata *vocem* praefereatur; neque enim praesens officium praestant, quorum vox peregre affertur, neque haec ipsa vox novi aliquid praeter amplissimi beneficii praedicationem continebit; quam nisi bis memorari voluerimus, *vicem* retinendum erit, ut decretum decurionum eandem vim habere significetur, ac si ipsi coram ad laudandum Sestium adessent; cf. Legg. II. 19: *nulla est enim persona, quae ad vicem ejus qui a vita emigravit propius accedat*, quo exemplo simul intelligas, quo jure Madvigius apud Ciceronem ne praemitti quidem vocab. *vicem* genitivo jactaverit. Nec §. 16 vel Ernestio vel Wesenbergio tantum tribuendum erat, ut pro communi codd. lectione *insani* manifesta correctio *infamis* in ordinem reciperetur. Quid enim nervis cum infamia? aut quorsum famae notitia, ubi de viribus ad evertendam rempublicam necessariis quaeritur? Insania contra cum libidine sollemniter jungitur, ut pro Sulla c. 25, Senec. Epist. 39 etc.; quam sive ad corporis sive ad animi facultates debilitatas retuleris qualiscunque rei strenue agenda facultatem adimit; *flagitiis* autem insanum dici quid vetat, quando *insanus* latissime de omnibus dicitur, quae modum excedunt? cf. Weichert lectt. Venus. p. 39. Etiam §. 27 optimorum librorum lectio *deprecarere* indignis modis a Madvigio spreta est, qui quam legem scripsit, ut orator de aliis, quos jam commemoravit, quum quid faciendum his fuerit quaerat, necessario tertia persona, non secunda utatur, ea ne ipsum quidem, si res ita ferat, se adstricturum esse arbitramur. Secundae enim personae haec tantum vis est, ut orator auditorem recogitare jubeat, quid ipse facturus fuerit, si in eorum numero, de quibus agitur, fuisset quod cur ei facere non liceat, etiam si hos ante memoravit, non patet; immo hac ipsa figura color orationi accedit, quo tertia persona prorsus caret; cf. etiam Jacob. in Philol. III, p. 498. Difficilior causa est §. 37, ubi quod plerique libri offerunt *sumpserat*, non nos magis quam Orellius aut Halmius tuemur; de emendatione tamen nec *spectarat*, quod Madvigius, nec *suspexerat*, quod Jacobus commendat, propriam illam vim continet, quae in hac quoque sententiae parte sequenti *tam fortis fuisse videbatur* respondeat vide igitur, ne *superbierat* et literis et orationi magis conveniat. C. XIX §. 44 *meum* post *interitum* optimi libri omittunt, fortasse recte, inquit Halmius; immo certe, si sibi ipse constare voluerit, qui simili in causa §. 128 *meam* post *vitam* sustulit; quanquam non repugnamus, si

quis etiam illo loco cum Jacobo pronomen retinere malit. At §. 46 quomnes pariter libri exhibent *quam non*, etsi primo aspectu prorsus contrarium significare videtur, certissime defendi potest, modo negativam vim recordemur, quam interrogationibus oratoris inesse satis constat. Nimirum illud quidem certum est, *quam non . . . susciperem* idem fere esse quod *quam exilium detractarem*, ut Caes. B. Gall. VII. 17: *praestare omnes perferre acerbitates, quam non civibus Romanis, qui Genabi perfidia Gallorum interissent, parentarent*, h. e. quam cives Romanos . . . parentalibus carere paterentur; aequae autem certum est antecedentis interrogationis: *depugnarem potius etc.* hanc sententiam esse, ut Cicero pugnam sibi potius quam exilium detractandum fuisse significet; quod si sublata interrogatione orationem ad hanc formam, cujus eadem vis est, redegerimus: *non depugnandum potius, quam non id*, quod omnibus impendebat, sibi uni subeundum fuisse, alterum quoque non locum suum recte tuebitur. Nec §. 84 de deponente forma *maerebamini* tuenda desperamus, ubi simili exemplo in Pison. c. 25 *commurmuratus sit* scriptum videmus, cujus verbi deponentialiter usurpati unicus praeterea testis Varro apud Nonium p. 478 exstat; immo alia quoque verba apud ipsum Ciceronem deponentem formam cum activa promiscuam habuisse idem Nonii caput docet; cf. Kühner ad Tuscul. I. 45; quod si aliud insuper ejusdem deponentis exemplum ex aequali Ciceronis poeta (cf. Leutsch. in Zeitschr. f. d. Alterth. 1834, p. 164) C. Matio apud Varronem L. L. VII. 95 — ex Priami ut videtur oratione Iliad. VII. 370 sqq. deproptum — in praesto sit, nostro quoque loco optimorum librorum auctoritatem integram servabimus. C. LVIII §. 124 communem eorundem lectionem a *columna Maenia* pro ad col. *Maeniam* nuper etiam Jacobus l. c. p. 721 merito tuitus est; cui hoc tantum addimus, veteri librario, qui ad pro a substituit, idem fraudi fuisse, quod Wesenbergium ad hanc correctionem commendandam impulit, quod columnam Maeniam spectandi causa in basilica Porcia exceptam fuisse cum posterioris aetatis grammaticis credit; quem errorem quum Osannus in progr. Gissensi a. 1844 docte refutaverit, ne Halmium quidem, qui ad §. 18 ipso Osanno duce de illius columnae situ diligenter disputavit, suae lectionis valde tenacem fore arbitramur. Nec tamen rectius §. 130 eundem Wesenbergium secutus optimorum librorum lacunam ita explevit, ut *summam auctoritatem* a P. Servilio ad Senatum transferret, cui etsi peculiariter *auctoritas* convenit, *summa* tamen propter hanc ipsam causam vix tribuetur, quia id, sine quo ille cogitari omnino non potest, ne gradus quidem facile admittit. Haec igitur ut pro S. Roscio c. 1 in singularem potius hominem cadet, quem quum totus sententiae tenor eundem P. Servilium esse suadeat, cujus mox dicendi gravitas praedicatur, nihil causae videmus, quapropter a Manutii emendatione Orellio quoque probata recedamus; cui hoc imprimis favet, quod *tum incredibili* post antecedens *Servili* per homoeoteleuton facillime excidere poterat. Postremo §. 145 quod adhuc editum est *certe texeram*, sanum non esse clarissima Par. et Bern. vestigia ostendunt, ubi *certede* vel *certade texeram* legimus, neque explicandum potius quam emendandum plerique critici censuerunt, quorum nubem emendationum Halmius attulit; earundem tamen quum nulla ei satisfacisse videatur, hoc certe eruditissimo homini probari cupimus, in corrupto vocabulo ablativum ejus rei latere, qua Cicero se patriam texisse

jactet; quam donec meliorem aliquis inveniatur, *caritate* neque a mente oratoris neque a sermonis usu abhorrebit. Quanquam et de hac et de aliis conjecturis, quas passim ad hanc orationem proposuimus, facile nos rectiora edoceri patiemur; quibus quum in hac ipsa disputatione nihil magis propositum fuerit, quam ut ne in praestantissimi quidem editoris opera acquiescendum esse doceremus, nos quoque reliquisse, quae alii superent, ultro largimur. Neque enim quicquam perversius est, quam ea constantiae species, qua quis *semel* conceptam opinionem abjicere recusat; quod si pudore facit, hominem se esse obliviscitur; sin nimio amore sui retinetur, ipsum finem, in quo persequendo summa constantia cernitur, cum alio permutat, quem haud scimus an infinitum rectius dici par sit.

P. P. in Academia Georgia Augusta m. Februario a. MDCCLII.

RECITATIONES ORDINARIAE.

ORDINIS THEOLOGORUM.

G. CHR. FRIDERICUS LÜCKE, Dr., privatim interpretabitur *Evangelium S. Joannis* hora IX-X. quinis lectionibus; *Theologiam moralem* docebit hora XI-XII. senis lectionibus. Publice explicabit *Synopticas Evangeliorum narrationes de morte, resurrectione ac reditu J. Christi* semel d. Saturni hora IX-X. *Societatis theologicae exercitationes* partim exegeticas partim dogmaticas moderari consueto more perget.

JO. CAR. LUD. GIESELER, Dr., publice *Historiam ecclesiasticam recentissimam* enarrabit d. Sat. h. XI. Privatim *Historiae ecclesiasticae partem secundam* tradet senis per hebd. lectionibus h. VIII. *Theologiam dogmaticam* docebit quinis h. V.

J. G. REICHE, Dr., h. XI-XII. quinquies per hebd. *Isagogen in N. T. libros canonicos historico-criticam* tradet, adjunctis summis *hermeneutices et criticae sacrae praeceptis*; publice h. III-IV. ter per hebd. diebus Lunae, Martis et Mercurii Apostoli *Joannis Apocalypsin* explicabit.

ERN. RUD. REDEPENNING, Dr., publice *Seminarii homiletici exercitationes* die Sat. h. X-XII. moderabitur; privatim *Theologiam dogmaticam* quinis lectionibus h. XI; *Biblicam theologiam* quinquies h. II; *Joelis, Michae, Habacuci vaticinia* ter p. hebd. dieb. Lunae, Merc. et Veneris h. III. exponet.

FRIDER. EHRENFUCHTER, Dr., publice *Seminarii Regii homiletici exercitationes* moderabitur, die Saturni h. X-XII, item publice *Theologiae recentioris historiam* narrabit ternis per hebd. scholis dieb. Lun., Mart. et Vener. h. IV-V. Privatim *Theologiae practicae partem alteram* tradet i. e. doctrinam cultus divini, homileticae et curae animarum quinquies p. hebd. III-IV. *Doctrinam scholarum inferiorum administrandarum* exponet quaternis p. h. scholis dieb. Lun., Mart., Jov. et Vener. h. VII-VIII. *Exercitationes catecheticas* sueto more moderari perget.

